NONNULLA DE HYGIENE AD LAUREAM MEDICAM RITE ASSEQUENDAM...

Antonio Loviselli



NONNULLA
DE HYGIENE

AD

LAUREAM MEDICAM

RITE ASSEQUENDAM

IN CELEBERRIMA UNIVERSITATE PATAVINA

ANTONIUS LOVISELLI

MONTANEANENSIS

EXPONIT



PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLIII





AMICO PRAEDULCI

FRANCISCO ANTONIO BIANCONI

EXIGUUM HOCCE OPUS

PRIMUM STUDIORUM FRUCTUM

IN

GRATI ANIMI

ERGA PATERNAS ILLIUS SOLLICITUDINES

SPECIMEN

DEVINCTISSIMUS DICO

Praecipuum sane, magis momentosum magisque humano cordi gratum medici munus, licet vulgus oculis minoris gloriae et reverentiae dignum ac chirurgici cultri exercitium sive inoperata salutis deperditae restitutio, bonae valetudinis conservatio procul dubio est. Nulla prorsus aetas, nullus sexus, nullum vitae genus, nec temperamentum, nec ulla conditio hoc sub respectu medicinae fugit imperium, et dum fanatici stultique scientiae salutaris contumeliis injustis natos obtrectant, inviti quoque, ni caece stupideque sui metipsius salutem flocci faciant et deperdere nitantur, hac de re praecepta nostra sequi coguntur. Frustra medicina a profanis ergo maledictis inficitur, frustra despicitur, praeter enim perspicuas victorias, quas in morbis saepe desperatis obtinet, continuus illius fructus, perpetuumque officium individui at speciei salutem conservandi sempiternas sublimis artis celebrat laudes. Hac veritate perculsi reverentia atque amore divinum medicinae auxilium, quo ducti beatos vivunt dies vel sanitatem reparare valent, mortales prosequantur.

Illa medicinae pars quae de servanda bona valetudine occupatur hygiene dicitur. De hac sermonem brevi facere nitor hac mea dissertatiuncula, quam non vanitatis ergo sed ut legibus academicis obediam in lucem prodo, hac die tandem perventa, qua studiorum metam attingo, et medica corona exornor.

Uti therapia partem practicam pathologiae constituit, hygiene ita ad physiologiam pertinet, et dum prima praecepta exponit ad salutem restituendam necessaria, haec salutem servare conatur.

Salus aeque ac morbus ex actione Naturae externae et organica reactione procedunt; uterque ergo status immediate dependet ex relationibus constantibus quae inter hominem et entia circumstantia locum habent. Hisce positis hygienis officium in eo situm est ut influxum exponat externorum agentium, quousque haec agentia functionum nostrarum aequilibrium servare valeant, ut, quum complurium infirmitatum aegram nostram vitam afficientium causam sistant, determinet; et denique praecautiones doceat atque praecepta observanda ad vitam juxta naturae leges et sanitatis normas ducendam. Itaque haec medicinae pars ab anatomiae, physiologiae et physices studio necessario derivat, ergo medici est.

Quoad hygienis dignitatem; quum majori saluti prospiciat tum generis humani tum individui singuli, clare patet prae ceteris omni-

hus scientiam quam maxime illam hominis interesse. Quidquid revera sentiendum sit de intellectu caeterisque functionibus hominis superioribus, certum tamen est eas in strictissimo nexu cum corporis conditione versari, quapropter morbus praecipuum impedimentum sistit, quod humani intellectus evolutioni et morali perfectioni opponitur — quam ergo haec scientia nos doceat praecepta, quibus obtemperando somatica salus servari potest, etiam mentis et animi functiones ad perfectionem relativam majorem evehit, et veritatem effaminis demonstret « mens sana in corpore sano. »

Hygiene ergo occupatur de homine seorsim considerato deque illius relationibus cum externa natura; hinc non differt ab humana physiologia, vel melius ab anthropologia, cujus ipse omnes comprehendit partes, paucis casibus exceptis, pathologiae dominio subjectis.

Majoris vero dignitatis hygiene est quum ejus praecepta non ad individui bonum sed ad speciei felicitatem dirigat: quum enim homines societatem constituant necessitates novas novaque munera assumunt; tum homo sejunctim considerari nequit, sed cum ceteris unum totum fere constituit, et medici philosophi attentionem requirunt felicitas, officia, bona humani generis universi. Hoc sub respectu hygiene auxilia proposuit, quibus destructionis causae populos circumeuntes arcerentur, et ad nationum prosperitatem media sufficientia indicavit. Si

regulas, ait Cabanis, medicus solum proponeret, quae conditionibus individualibus hominis singuli applicari possunt, minoris certe momenti officium illi incumberet, sed praeterea debet humanum genus tanquam individuum sui ipsius sollicitudini commissum amplecti, illius physicam educationem dirigere, ad perfectionem, quousque nobis licet, admovere; uno verbo medicus hygienis munera suscipiens perfectioni humanae naturae studet.

Ex diversis hisce hygienis officiis divisio hygienis summi facienda profluit, prouti individuali vel universae humanae speciei bonae valetudini providet — prima privata, secunda publica hygiene nuncupatur. Ipsa vero hygiene individualis in duas sectiones dividi meretur; prima generalis abstracte praecepta monet ad administrationem rectam internorum atque externorum agentium relata cuivis individuo propria, quin individuales conditiones et differentias animadvertat; alia, specialis, perpendit actionem differentium agentium animalem oeconomiam modificantium, variis sub mutationibus in statu normali ipso ab organismo oblatis, pro variis sexu, aetate, temperamento, vitae genere, corporis habitu, constitutione, officiis, negotiis, religione etc. occurrentibus.

Quum hygienis praecepta logice proposita a cognitionibus praegressis historiae naturalis, et praesertim anthropologiae, uti superius muni-

mus, derivare debeant, perspicue videtur hujus scientiae progressus alias doctrinas naturales sequi debuisse, attamen non hac ratione res processit; de dignitate enim et necessitate doctrinae monita praebentis ad bonam valetudinem servandam suasi, jam remotissimo aevo homines seriem hygienicam praeceptorum collegerunt, ut suae saluti et prosperitati prospicerent, vitamque sibi beatam, familiae robusta brachia filiosque laboriosos, atque denique patriae bonos cives praeberent; licet talia praecepta scientifico carerent fundamento. Hygienis praecepta tam temporis a caeco empirismo suppeditabantur, attamen, quamvis errores plures celebrarentur, hygienis notae prudentissimi edebantur ad populorum salutem optime facientes. Hygienica praecepta remotissimo aevo cum religionis praeceptis quam saepissime confundebantur; et sapientes legislatores duplo hoc vinculo populos ad salutem bonam tuendam invitabant.

Sed quomodo exacta hygienica praecepta proferri poterant si plane humani corporis organisatio abscondebatur? Nil mirandum, meam juxta sententiam, in hac anomalia; nam talis procul dubio plurium scientiarum origo fuit: observatio et experientia praecessit, theoria et ratiocinia in posterum sequebantur. Hoc alimentum, hoc physicum agens plerumque saluti infensum inveniebatur, hinc instinctus ipse illa rejicere suadebat; pluribusque similibus factis

*

collectis, legislatores praecepta hygienica inde eruebant, quae tanquam dogmata diffundebant, et ad religionis leges redacebant; quod cognitiones progressae tam exiguae erant ut frequenter facti explicationem ab inscientibus repetitam suppeditare non valerent.

Si tamen una ex parte praecepta hygienica a primo empirismo procedentia valde contulerunt ad salutem servandam, ex alia tum praejudicia plura originem sumebant, quae tam profunde animis adhaerebant, firmeque radicem figebant ut nullo modo vix eradicari possint; imma populares errores frequentissime hereditarie fere per traditionem transferuntur et fontem praecipuum constituunt generis humani aerumnarum.

Ex primis empiricis praeceptis dein rite pensitatis et aequa lance rationis atque philosophiae collatis logicae theoriae deducebantur, ex quibus scientiarum fundamentum.

Indi legislatores, climatis aestum considerantes, hygienico scopo ducti, carnes populis negabant, et lac tantum vaccae, legumina atque fructus tanquam cibum concedebant, plurasque alias mundítiei et regiminis regulas praecipiebant.

Hygienica Persarum praecepta cum religionis legibus nectuntur, attamen majorem extensionem acquirunt, quum patriae cives optimos et strenuos dare nitantur. Hoc in populo ne parentum amor et blanditiae infirmos pueros red-

derant, horum prima educatio physica et moralis magistratibus peculiaribus committebatur, qui illos, a primis usque unguicalis, famem, sitim, tempestatum vicissitudines sufferre et despicere docebant. Nullus potus praeter aquam simplicem pueris concedebatur, nec ullus cibus praeter panem et cardamum. Vestes leves motus faciliores reddebant et agilitati prospiciebant. Caput nullo velamine tegebatur. Aetate vero progrediente exercitia complura instituebantur; gymnastici ludus, venatio praecipue, unicus pastus de die, somnus sub dio robustos juvenes impavidosque efficiebant.

Aegypti Sacerdotes, naturae studia omnia colentes, medici, astronomi, astrologi, leges quoque saluti faventes ediderunt, easque populis imposuere.

Hebraeis praecepta a Moyse imposita, hygienem respicientia, summam sapientiam denotant legislatoris. Circumcisio, injectiones, lotiones, balnea huc referebantur; nec silentio praeterire debemus matrimonium inter parentes vetitum, fugam a leprosis impositam, carnes porci aliorumque animalium, tempore praesertim copulae, negatas — quae omnia ad unicum tendebant scopum, ad conservationem nempe bonae valetudinis nationis universae.

In Graecia primo hygiene a religione distinguebatur. Pythagoras, Indis atque Aegyptiis edoctus, sobrietatem et castitatem suis discipulis jubebat, illis v. gr. interdicebat ne faba

346

vescerentur, quod habet is cibus magnam inflationem tranquillitati mentis quaerentis vera contrariam; a quibusdam ergo cibis abhorrait, propriae saluti prospicere jussit, sustinens quod nimis aeque ac exigua salutis cura vitandae sint, eam pari passu in contrarium excessum incidere facile est.

Lacedaemones praecepta complura hygienis instituere; hi vero non tam individuali bono prospiciebant, quam Reipublicae prosperitati atque vi. Tali idea praeconcepta, hygienicas leges proposuere tyrannicas, quibus, ut perfecte liberi essent, in ipsis somaticis primis necessitatibus libertatem civibus prohibebant. Vitam tanquam monachi vivere, dolores despicere, organicas necessitates flocci facere, ad pericula impavide accedere illorum leges hygienicae proponebant.

Graeci alii magis humanas hygienicas normas prodiderunt; quae praesertim ad gymnastica exercitia referuntur.

Romani a Graecis praecipuas hygienicos jussus derivarunt, ita quam maxime gymnasticis exercitiis indulgebant; at aliquando praxim et mores Graecorum ampliando, hygienica auxilia in potentias nocentes mutarant; ita, exempli gratia, balnea quae initio ad bonam valetudinem servandam adhibebantur, tali abusu commendabantur ut praecipuam causam sisterent morbosam, illorumque damna a plerisque effusinibus praedicarentur.

Inter antiquorum hygienica auxilia in mentem revocare debemus Aegyptios vomitum bis saltem de mense cuivis commendavisse, et quotidie profusum sudorem. Quum medicus quivis non modo, sed bona mente donatus quisque hac de praxi judicium ferre possit, eam attento examine perpendere supervacaneum existimamus.

Methodus quoque antiquissima, illius enim mentionem etiam in sacris libris invenimus, est ars vitae producendae, quae gerocomica nominabatur. Hujus artis praecepto senes, infirmi cum robustis et junioribus commorabantur, et vitae vigor unius extinctam fere vitalem flammam alterius fovebat. Hujus methodi efficacia a quotidiana experientia confirmatur: id senes nos docent qui juvenes filias uxores ducunt, id vetulae adolescentibus nuptae; sed si una ex parte infirmus organismus ex hoc commercio lucratur, alterius flos cadit et vigor extinguitur. —

In posterum hygienia studium a medicis fere exclusive colebatur, pluraque nomine hic recensere concederetur auctorum qui hac de scientia omni aevo optime merebantur.

Quoad naturae agentia, quae hygiene comprehendit, notare debemus omnes hoc referri potentias. Ad propositam thesim defendendam in mentem revocare sufficiat cuncta naturae agentia vel tanquam potentiae diaeteticae, vel medicinales, vel nocentes agere, pro differenti-

bus conditionibus. Licet enim id non concedatur, nemo tamen negabit diaetetices aeque ac nocentes potentias hygienis studiosum examinare debere ut primas amplectatur secundas fugiat.

Hic, relate ad aetiologiam et relationem hygienis cum ipsa, sequentia uti exemplum referre non absonum censemus. Vitae genus populorum hujus aevi, numerus in dies major incolarum civitatum non parum contribuunt ad hygienis praecepta quotidie magis necessaria reddenda propter agentium noxiorum frequentiam. Hominem modo sedentario vitae generi a propriis negotiis commissum, aërem impurum tantum in vias respirationis introducere cernimus, qui a limitata atmosphaera suppeditatur, qui vario caloris gradu gaudere quidem potest, sed semper conditionem hygrometricam materiarum perspirationis insensibilis evaporationi oppositam praesentat, donec labores immodici, musculorum peculiarium solum exercitium inducentes, et abusus voluptatum Veneris atque Bacchi ad energiam vitae delendam conferunt; modo extremo in annulo socialis catenae luxuriam invenimus, cujusvis generis excessus, musculorum quietem etc., quae functionum omnium torporem gignunt.

En plurium cachexiarum fontem, en morbos complures, qui hygienico auxilio, fuga nempe morbosae potentiae, sanari possunt.

Superius jam docuimus omnia aetiologica

momenta hygienica praecepta modificare valere; nec ullus, puto, meae sententiae adversari tentabit, quum in mentem revocet vitam sub diversis conditionibus diverso modo relationes suas cum externa natura exercere, diversaque prorsus ratione ab externis modificari. Neminem latet quod mutata potentiae ejusdem actio appareat pro variis individuis; nec ullus neget varias aetates, varios sexus, diversa temperamenta differentes corporis habitus etc. alienam prorsus receptivitatem et reagendi vim in externa ostendere. Sed sub hygienico respectu vitae genus et negotia advertenda sunt; ut unum tantum exemplum referam, nonne diversa ratione liberi aëris, caloris, lucis vim agricola sustinet ac delicatula femina? nonne eadem potentia quae uti nocens in secundam haud raro agit, quasi hygienicum auxilium virtutem suam in primum exercet? Relate vero ad hygienem publicam praesertim, quin erroris metu corripiar, asserere non dubito, quod, quum praecipua morborum causa paupertas sit, infirmitatum numerum quam maxime scientia nostra imminuet si miseram hanc conditionem mitigare valeat. In pauperum tuguriis excedens numerus invenitur plebis constanti malorum serie laborans; scrofula, scorbutus, inflammationes chronicae viarum digerentium, tinea, pellagra, impetigines cunctae morbi totidem sunt qui immediate a paupertate dependent. Epidemiis saevientibus, victimae numerosiores morbi

gramantia ex hac classe miserrima deducantur. Causa certissima tam frequentium morborum neminem latet; ita ut remedium unicuique manifestum atque hygienis publicae est aetiologicae potentiae vim infringendo illius sequelas praepedire.

Donec hygienis praecepta magis quam sanae theoriae empirismo caeco innitebantur, divisiones plures illius partium propositae sunt, quae tamen originis haud scientificae indicia referunt. Divisio ergo quae magis ordini philosophico respondet, functiones physiologicas amplectitur, ad quas normales servandas diversa hygienes auxilia suam symbolam ferunt. Omnia vitae phaenomena ad tres referri possunt series generales — nempe ad phaenomena nutritionis, relationis atque reproductionis; quapropter etiam variae potentiae, quae in organismum vim suam exercent, in tres classes distribuuntur pro variis organis, systematibus et functionibus quibus inserviunt. Et penitius rem investigando, ut facilius hygienicae potentiae distingui queant sejunctim a medicis plerisque examinantur quae in relatione versantur cum tramite digerenti, cum cute, cum organis genitalibus, cum sensibus externis, cum encephalo, cum artubus quatenus ad voluntarios motus spectant etc. Haec vero nuda expositio hygienis regulas abstractas solummodo suppeditare potest, nam, ut in concretum utilitas hygienis deducatur, necesse est modificationes varias perpendere in relationibus oeconomiae animalia

cum externis, quovis in individuo contingentibus. Quapropter prius varias potentias considerant hygienologi ad diversas functiones spectantes; v. gr. quoad tramitam digerentem cibos, potus, remedia etc; quoad cutem aërem, balnea, frictiones, cataplasmata, inunctiones et similia, ac dein modificationes diversas notant pro cujusvis hominis individualitate occurrentes.

Non modo in sanitatis statu, sed etiam morbo saeviente utilis hygieae evadit; frequenter enim sub pathologica conditione suum morem exercet, nec solummodo indicat rationem qua abusus externorum evolutioni hujus ulteriusve morbi faveat; sed praeterea docet quo pacto ipsa hygieneos auxilio recte adhibito properam valetudinem reddere queant. Ita diaetetica nutrientia, pro vario medici intentione, vel materiem organicam imperfectam aut parcam suppeditando, tanquam debilitantia usurpantur; vel sicuti plastica, substantias praebendo abundantes aut facile transeuntes in organicam massam et cito jacturas reparando. Ergo quia adhuc, ut olim contigit, substantiae diaeteticae, universam therapeuticam tractamea expleant, hucdum tamen sommi faciendae sunt, quum tali munere fungantur; nam si naturae agentia praeeavent vel producunt morbos, pro recto vel incongruo modo, quo adhibeotur, nil mirum, si, rite vel inconveoienter propinata, morbo saevicote, illum mitigare sive graviorem reddere possint.

Hygienica auxilia vel moralia vel physica esse possunt; frustra a quibusdam priorum virtus negatur; nam quotidiana experientia huic sententiae adversatur, sub morbis praesertim. Quoties enim consolatio, musices virtus, mimesis imperium, religionis praesidium similiaque sanitatem desperatam restituere valuerunt! Sed argumentum insuper rationale addendum, quod ex conditione deducitur systematum, quae ab hisce moralibus agentibus affecta sunt; hae enim functiones referuntur ad vitam relationis spectantes.

Quaeritur nunc quaenam regula in genere proponenda sit hominibus ad bonam valetudinem servandam. Ut tali quaestioni responsum feramus, in memoriam reducimus eo minus mortales morbo affici quo magis naturae leges religiose sequantur. Animalia complura nostram sententiam exemplo confirmant; et quum animalium organisatio tantam similitudinem offerat cum organisatione humana, nil mirum si illorum vestigia sequi in vivendi ratione plerumque proponamus. Proverbiorum liber sequentia nos munet «Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus et disce sapientiam» non pudeat ergo ab animalibus principia hygienica sumere. At non modo animalia exemplo nos ducunt ad sanitatis conservationem; homines consideremus rudes, sylvas incolentes illorum ratio vivendi naturae legibus obtemperans, ad animalia propius accedens, bonam illis consti-

tutionem generatim tribuit, et perfectam valetudinem; ipsique non raro vitam producunt ultra limitem, quem homines moribus cauultis praediti et in societatis statu viventes vix attingere possunt. Quin ergo praecepta multiplicemus, quin theorias philosophicas hic exponere tentemus, sufficiat proposita praecepta hygienica sequi ab allatis exemplis suppeditata, illis modificationibus peractis, quas experientia pro vario nostro vitae genere aliisque circumstantiis nos monet.

Quoad hygienem publicam, de altioribus et majoris momenti rebus ipsa occupatur. Examinat modificationes quae in homine contingunt pro sociali conditione in qua vitam degit, seorsim consideranda influxum regiminis imperii, religionis, morum, habitudinum, relationum commercialium et politicarum inter varios populos, et praeterea omnia adminicula politica interna vel externa quae ad sanitatem civium referri possunt. Nulla medicinae pars, nulla immo communis vitae generis conditio politiam medicam fugit.

Haec medicinae pars hucusque errores plures admisit, quod non medici sed anthropologistae, oeconomistae, metaphysici aliqua de hac re occupabantur. Revera quomodo de homine sermonem habere et judicium ferre possunt qui illius organisationem non student? ex his solum utopia idealis et phantastica ab humano genere exspectari potest.

Ut ergo optimi effectus ex hygiene publica derivent necesse est ut de illa medici amore et studio diligentissimo occupentur.

Falsa tamen est illorum opinio qui asserere non dubitant politiae medicae leges vix hucdum aliquid ad humani generis bonum profecisse. Comparemos conditionem populorum horum temporum cum temporibus peractis — in memoriam revocemus strages a contagiis praegresso aevo patratas — et victoriam publicae hygienis canere non dubitabimus. Nunc sapientissimi Magistratus a medicis ducti omni sollicitudine bono provident nationum. Exemplum praebeant mutationes hygienicas in omnibus civitatibus institutas, quae adeo utiles visae sunt ut vix aliquid desiderandum supersit. Publicae hygienia beneficia in ruribus et agris hucdum pleraque incompleta relinquunt — sed hoc progressus socialis tempore spes nostra relativae perfectionis futurae firma argomenta nobis concedit.

Revera quodvis sociale auxilium ad hygienem referri potest — huc tendunt scholae infantiles, institutiones agriculturae, leges commerciales, educatio moralis et religiosa populorum, sacra verba ex altari prolata; omnia denique quae mores emolliunt, cor et mentem exornant, familiaria negotia perficiunt ad hygienis publicae campum reduci queunt.

Nec solum Magistratus ad hoc conspirant, etiam cives singuli, etiam societates privatae huic

communi favent prosperitati, quum amore progressus et humani generis charitate ducuntur. Exemplum afferunt agronomicae societates, quae nullam plane viam intentatam relinquont ad sublimem scopum assequendum.



THESES DEFENDENDÆ

I.

Hygienis praecepta ab educatione morali nullo modo sejungi possunt

II.

Hygienis imperium nullus vitae status fugit.

III.

In scientiis naturalibus semper empirismus praecessit.

IV.

Praecipua helminthiaseos damna non ex consumptione materiae organicae derivanda sunt.

V.

Nulla contagiosa affectio per longum temporis spatium immutata servari potest.

VI.

Inunctiones oleo quodam peractae in morbis contagiosis ea prorsus ratione utiles sunt ac olea interne adhibita in helminthiasi.

VII.

Symptomata nervosa pathognomonica criteria valde incerta suppeditare valent.

VIII.

Dolor in inflammationibus symptoma essentiale non est.

IX.

Adplicatio externa glaciei in ascite symptomaticae et vitali aeque ac radicali curae saepe providet.
